



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex
Tomorvm Editionem ...

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 ZV 1269

De SS. Nunilone & Alodia sororibus & martyribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

MARTYRIVM SANCTARVM SORO-

RVM NVNILONIS ET ALODIAE, AVTHORE LV-

cio marino Siculo, Regio historiographo, de rebus Hispaniae libro quinto.



ANNO Christianae salutis octingentesimo quinquagesimo primo, cum Sarracenorum gentes Hispaniam totam occupassent, praeeperunt ut qui Christianus esset, aut Christum Dei filium denegaret, aut gladio sectus occumberet. Quod impium electum & ferale praecipit, per Hispaniam totam divulgatum, magnum timorem Christianis omnibus incussit. Quapropter Hispanorum complures religioni Christianae, sibiq; prudentissime consulentes, & nefanda Mahometi sectam fugientes, patriamq; suam deserentes, ad Pyrenaeos montes, & Cantabriae, Gallaeciaeque montana loca sese contulerunt: quorum successores post multos annos Hispaniae fuerunt recuperationis

22. Octob.
Sarraceno-
rum impi-
um edictum.

authores. De quibus in libro de Aragoniae Regibus historiam scripsimus plenior. Quare nunc ad Nunilonem & Alodiam martyres redeo.

Erant itaque sub idem tempus in Osea citerioris Hispaniae civitate duae sorores, atque admodum parvulae, quarum altera natu maior Nunilo, & altera dicebatur Alodia, quas pater iniquus dereliquerat, & mater quae Christiana erat ab infantia nutrierat, & in fide Christi diligenter edocuerat. Illa autem matre defuncta, cum ad intellectus aetatem pervenissent, coeperunt in fide Christi proficere, ieiunijs, vigilijs & orationibus incumbere: Quibus, & gratia sancti Spiritus adiuta, martyrium fortissime pertulerunt acerbissimum. O beatissimae virgines atq; fortissime, quae amore Christianae religionis accensa, mundi fallacias, tyrannos, & mortis tormenta vicerunt, ut in caelum victrices & triumphantes ascenderent.

SS. Nunilonis & Alodiae patria & parentes.

Ieiunijs, vigilijs & orationibus vacant. Martyrio coronatur

MARTYRIVM SS. SERVANDI ET GERMANI, VT HABETVR IN LVCIJ MARINEI SICVLI, REGII

Historiographi, de rebus Hispaniae libro quinto.



LEGIMVS quoque Servandi & Germani martyrium, qui cum viri nobiles essent, daemones expellebant, & per impositionem manuum multos languores curabant in Emerita urbe Lusitaniae provinciae. Quod cum praeses audisset, eos ad se vincitos catenis adduci iussit: & in Mauritaniam provinciam profecturus, secum ducere decrevit. Illi autem labores itineris, catenam & famem gaudentes, animi virtute tolerabant. Tandem cum ventum esset in locum qui dicebatur Vfricanus, apud Gades, iussit praeses ut colla eorum carnifices amputarent. Ducti igitur ad collem, flexis genibus orantes Deum, gladium sacris crucibus exceperunt: Quorum Servandus Hispani cum Iusta & Rufina, Germanus vero in Augusta Emerita sepultus est.

23. Octob.

Saeti martyres miraculis coruscant.

Caeduntur capite.

VITA S. LVCIANI MARTYRIS, PER SVIDAM SCRIPTA, ALBERTO LINO INTERPRETE.



LVCIANVS martyr Samosatensis, quae est Syriae civitas, vir nobili genere natus, ab ineunte aetate cum quodam Macario Edesa commorante, sacrasq; literas explanate versatus, quicquid apud illum optimum ac praestantissimum inuenit, haud multo tempore percepit, atq; in solitariam vitam secessit, omnesq; absolutae virtutis numeros explevit. Prouectus est autem & ad sacerdotium, presbyter Antiochia factus, ibique ludum litterarium magnum aperuit, vndique studiosissimis alijs aliunde ad eum disciplinae causa con-

26. Octob.

S. Lucianus fit presbyter.